



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola X. Ioannis Papae VIII. Ad Adalardvm Episcopvm Veronensem.  
Commendat eum ob paeclaras virtutes, & iubet vt Romam ad Concilium  
veniat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

hortor misericordiam deprecamini, nostrumque aduentum spectate veraciter.

## EPISTOLA X.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ADALARDVM EPISCOPVM VERONENSEM.

Commendat eum ob præclaras virtutes, & iubet  
vt Romam ad Concilium veniat.

*Ioannes episcopus Adalardo episcopo Veronensi.*

**A**DVERTIT plane prudentia tua, quanto & quali circa se apostolatus noster flagret affectu, cum tuæ causa prouectionis non modicum sumpserimus laborem, idoneum te Christi sacerdotem merito arbitrantes futurum, & spiritualem potius quam sæculi gloriam sectaturum, cum & ipsa nimirum nobilitatis tuæ insignia, & sapientiæ specula, talia de te speranda tribuerent: quod quia vindicare sibi virtutum nisibus & probitate morum sanctitatem tuam comperimus, Deo innumeratas gratias valde gratalanter retulimus, & in hoc, quia secundum Apostolum *spes non confundit*, experimenta didicimus: & ideo in proximo, causa ecclesiasticæ simul & imperialis opportunitatis, certorum congregaturi episcoporum Concilium, dilectionem tuam tanto Conuentui iubemus adesse. Accinge igitur sicut vir lumbos tuos, & assume tibi pennas sicut columba, & vola, & veni, & requiesce in sinu apostolicæ dilectionis, ita ut pridie Kalendas Decembris presentiam tuam liminibus apostolicis & nostris exhibeas prorsus obtutibus. Porro si hoc impossibile afferis, v. IIII. Kalendarum Ianuariarum: quod hortamur & iubemus expleri, si dumtaxat ab apostolicæ sedis communione renuis prorsus arceri: dignum enim non est, ut tantæ sapientiæ vir tanto procul Cœtui sit. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data iv. Nonas Nouembris, in dictione decima.

Rom. 5.